

1
6
516







Quod Medico-Chirurgo liceat, absque artis dedecore, bestijs etiam mederi.

ORATIO,

Habita in Archi-Lyceo Patauino, die 3. Nouembris, 1682.

A CAROLO PATINO.

EQV. D. MARCI, DOCT. MED. PARIS.

PRIMARIO CHIRVRGIÆ PROFESSORE.



VENETIIS, MDCLXXXII.

Typis Io: Francisci Valuasensis.

Superiorum Permissu.

Illustrissimo & Excellentissimo D.

D. SILVESTRO VALIER,

EQVITI, D. MARCI PROCVRATORI, Patrono suo Colendissimo,

CAROLVS PATINVS.



Vm Medicinam immortalibus Dijs sapientissimi Veteres vnanimi omnium consensu consecrauerint, horum exemplo ad præstantissimam hanc artem spectans leuidense hoc opusculum Tibi vt singulari meo & tutelari Numini dedicare liceat. Non hecatombis tantùm delectabatur Optimus ille Maximusque Iuppiter, qui victimas quasvis deuotè sibi sacratas hilari fronte suscipiens, animum addidit mortalibus sua quantumlibet exigua viris primarijs offerendi. Hacce obsequij mei tesserà non ambio tanta tua in me collata beneficia exprimere, nisi ad illius exemplum, qui colossum ingentem in lapillo sculpserat. Excelsam familiæ Valeriæ amplitudinem hæc folia non continerent, sed dabitur fortassis occasio, illibatà Poblicolarum, Coruinorum, & Meßalarum glorià, inter Maiores tuos quidquid & sago & toga commendabile fuit, ad posteros meo calamo transmittere; Siluestrosque, Augustinos, & Bertuccios celebrare. Hoc honorificum otium mihi largiatur bonorum omnium dator, felicemque tibi longæuitatem, quà litterariam æquè ac Serenissimam Rempublicam beas. Vale.

E Musæo nostro Patauino, prid. Non. Nouembr. MDCLXXXII.

Quod Medico-Chirurgo liceat absque artis dedecore bestijs etiam mederi.



QVemadmodum prima debet esse artificum cogitatio aptam sibi materiam quærere, in qua artem ingeniosè exerceant, sic qui artibus philosophiam adjungunt, primariam subjecti debent habere rationem, quod exactè noscant, priusquam illi restituendo aut nobilitando adlaborent. Sculptor æri informi & adhuc rudi Herculis effigiem impressurus, non minimam artificij partem in eligenda sibi idonea materia collocat, quam pro lubitu tractat, sic vtitur figulus luto, sic textor filo, sic materiarius ligno & lapidibus, sic fabrilibus faber. Solus ferè Medicus est, cujus auxilium vix imploratur, nisi subjecti natura vulneribus morbisq; obruta sui exitium apertè portendat.

Si valeant homines, ars tua, Phœbe, jacet.

Quid parturientes docuit suos clamores? *Pereo Lucina fer opem*, Dolor, quem terminari aut imminui postulant. Quid cogit pede luxatum quemuisve vulneratum salutares Medici manus expetere, nisi & idem dolor & proximum moriendi quod incurrunt periculum? Primus in orbe Deos fecit timor, apud Ethnicos, a quo vota, aræ, delubra, Pontifices, sacrificia, victimæ, ceteraque ad Deorum cultum attinentia: at multò veriùs honorem Medici constituit ingens illa diraque morborum cohors, quæ tandem hominem, vtvt sagacem, acutum, memorem, rationis & consilij plenum sibimetipsi valedicere cogit, aut incautum opprimit, nulli prorsus parcente, μοίρᾳ πεπρωμένῃ. Hanc fabulatur poetarum vetustissimus, Hesiodus, a Pandora sparsam per mare per terras, hominibus inde vbicunque febribus, senio, mortique obligatis.

Πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα.
Νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ, ἠδ' ἐπὶ νυκτὶ
Αὐτόματοι φοιτῶσι.

Hinc inuenta Deorum munere medicina, quæ breue vitæ spatium prorogaret: Medici namque *A Phœbo didicere moras innectere morti*. Ἐκ δέ νυ Φοίβου ἰητροὶ δεδάασιν ἀνάβλησιν θανάτοιο, inquit Callimachus. Hinc inuenta Chirurgia nostra quæ manuum operatione continuum solueret, diuisa jungeret, & superflua demeret. Sit ergo corpus humanum stupendum illud miraculum, & θαῦμα θαυμάτων, vtriusque subjectum, quatenus à morbis & morte præseruari aliquatenus potest: Sit illud πολυμηχανώτατον τῆς φύσεως ἄγαλμα, in cuius sanitate conseruanda restituendaque insudent præstantissimi illi artifices, quos non tam dignitate, quàm opere Excellentissimos & ἡμιθέους nuncupant: Illud denique sit quod meditationes exercitationesque nostras juxta Serenisś. Reipublicæ decreta, occupet. Domina hæc nostra publico bono semper intenta, res academicas ita disposuit, vt ex tanto Professorum quos alit numero, paucissimi eadem tractarent argumenta, neque in ijsdem demonstrandis conquiescerent, sed pro annorum vicissitudine, illa etiam variarent.

 Ita

27

Ita Chirurgiæ Profeſſoribus demandatum eſt,tumores primùm exponi, vulnera deinde ac vlcera, tandemque quas hoc anno diſcutiendas meditamur fracturas & luxationes, quibus ſtadium hoc chirurgicum abſolueretur.

Benè quidem ac ſapienter inſtitutum eſt, AVDITORES, verùm ne a tanta quam vacationum tempore percepimus tranquillitate, ad ardua laborioſaque nimis ſtudia de repente progrediamur, hodie proludendum arbitror, idque expendendum, quod pleriſque dubium eſſe ſolet, num ſcilicet Medico Chirurgo liceat abſque artis dedecore beſtijs etiam mederi, quod præſertim de fracturis & luxationibus intelligendum velim.

Nouimus equidem tantam eſſe hominis dignitatem vt cuncta eaque omnia valde bona, propter ipſum ſolum facta fuerint, quibus dominaretur. Nouimus hunc ad imaginem omnipotentis Dej creatum, & vt cœtera propter hominem ſic hominem propter Deum. Nouimus tandem ipſi cœleſtes ineſſe igniculos, ſeminaque diuinitatis, quem ideo ſapientiſſimi Ægyptiorum Sacerdotes adorandum proponebant.

Sed ab his theologicè aut moraliter dictis non ſatis compertum eſt tanti valere hominem, meditationibus phyſicis aliud ſuadentibus. Infeliciter quippe experimur Naturam tanta ſua munera,ſæua mercede compensàſſe, vt non ſit ſatis æſtimare,parens ne melior ipſi fuerit,an triſtior nouerca. Nudus homo ſolus naſcitur ad vagitus ſtatim & ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrymas producitur: Ita jacet manibus pedibuſque deuinctis flens animal cæteris,vt aiunt,imperaturum. A ſupplicijs vitam auſpicatur, vnam tantum ob cauſam,quia natum eſt.Heu dementiam, inquit Plinius, ab ijs initijs exiſtimantium ad ſuperbiam ſe genitos. Multi certè exſtitere, qui non naſci optimum cenſerent, aut quàm citiſſimè aboleri.

Sed figuram habet erectam, inquiunt, quò faciliùs ſupraque cætera animantia cœlum vt patriam, aut quietis æternæ locum intueretur. Aues pleraſque homini cur non preponeremus? colli longitudine & flexibilitate, cœlum faciliùs vtrinque reſpicientes. Quin piſces memorat Atheneus ὐρανοσκόπους, oculis in capitis vertice conſtitutis,cœlum idem, pronos & abſque motu illo intueri: Præterea cœlum conſpicere tanti non eſt. Sed manus habet, inſtrumenta ſapientiæ: Nonne etiam Simia ſolertiſſimum animal, quæ nec incommodiùs apprehendit, nec infirmiùs retinet. Quid ſi pinnas haberet, pennaſque quibus natare volareque poſſet? Quid ſi Elephantis molem, Cerui velocitatem, Leonis fortitudinem, Corui longæuitatem, hominem certè animalium perfectiſſimum & verè μικρόκοσμον æquiùs prædicarent. Sapientiſſimum,temperatiſſimumque præterea contendunt, ideo animantibus omnibus præferendum. Quis hæc dixit,quæſo,præter hominem,ſuperbiæ, vanitatiſque pleniſſimum? De vitæ ſecuritate ſollicitæ videntur beſtiæ,de cibo & potu, & ſi quod vltrò cogitent, ad ſpeciej propagationem refertur: Felicem profectò ac moderatum hominem ſi hiſce immoraretur; ſed nullum vnquam a philoſophia morali prolatum fuit vitium, cujus capax non ſit, nulla fraus, nullum facinus. Vni animantium luctus datus eſt,vni luxuria, vni immenſa viuendi cupido,vni ſuperſtitio: Nulli vita fragilior,nulli rerum omnium libido,

do major, nulli pauor confusior, nulli rabies acrior. Bruta deinde, vt homines beneficijs alliciuntur, præceptis mouentur, minis terrentur, voluntarioque & libero vtuntur arbitrio, *ex Arist.l.3.Ethic:* quin & diuina auctoritate interdum ipsa puniuntur, *Exod.19.21.& Leuit.20.* Denique cœtera animantia in suo genere probè degunt; congregari videmus, & stare contra dissimilia; leonum feritas inter se non dimicat; serpentum morsus non petit serpentes; ne maris quidem belluæ ac pisces nisi in diuersa genera sæuiunt. At Hercule homini plura ex homine sunt mala. Hæc fortasse Democritum impulerunt hominem irridere tanquam dementissimum animal, ἕνα γελῶ τὸν ἄνθρωπον ἀνοίης γέμοντα, inquit ille apud Hippocratem, *in epist.*

Vereor porro, Auditores, ne hæc conuicia videantur nimia in hominem jacta, cùm aliud promisissemus; Cætera itaque & quæ plura sunt, silentio inuoluantur, vt citiùs bestijs etiam a melioris notæ medicis opitulandum esse comprobetur, quod tum auctoritate tum ratione Vobis abundè persuasum iri confido. Ac primùm Aristotelis mentionem fieri placet, cujus solius, vt præcipui Naturæ genij testimonium omni auctoritate majus esse deberet. Is, inquam, Canum, Bouum, Suum, Equorum, Asinorum, Elephantum, insectorum ac præcipuè Apum morbos eà diligentià persecutus est, vt nihil quod ad eorum medicinam attineret, omisisse videatur. Quo certè non leuem ab Alexandro Macedone, harumce rerum indagatore cupidissimo gratiam iniuit. Alter naturæ interpres Plinius multa quidem de homine, plura tamen de bestijs scripsit, quarum & ægritudines & remedia incredibili labore posteris aperuit. Sapientissimi medicinæ nostræ Principes labantem Naturam in quocunque animali subleuare conati sunt. Nobilis extat diuini Senis libellus, ab equorum medela nuncupatus ΙΠΠΙΑΤΡΙΚΑ in quo veterinariam medicinam ità exactè docet, vt eamdem se πρακτικῶς exercuisse nullum sit dubium, cùm præcipuè luxatis eorum membris, fractisque ossibus, quæ ab arte produci possunt explicet, & ne ipsum prætermiserit προγνωστικόν. Galenus verò alterum medicinæ lumen, ἄλλο τῆς Ἰατρικῆς φῶς, nonne sæpe gloriatur se multa nō ex libris aut sophisticis rationibus didicisse, verum ex ipsis operibus artis, tum in hominibus tum in belluis, quæ cùm assiduè naturam habeant comitem, errore omni esse vacua necessum est. Nonne innumera secuerat brutorum cadauera? vt scilicet & ipsis & eorum Domino securiùs postea mederetur. Nonne passim in ejus operibus leguntur, quæ ad brutorum valetudinem curamque referuntur, vt etiam scalprorum diuersitatem enumeret, equis conuenientium? Et cum anales Medicos, auriculares, ocularios, dentales, atque herniarios descripserit, cur temerè aut imprudenter fecerit veterinarios muloque medicos nominare, solis sanandis bestijs incumbentes? Nisi fortè reclament qui se indicari subolfaciunt, vt eiusdem Galeni verbis vtar, non majorem habentes dialecticæ, grammaticæ, & rhetoricę rationem quam Asini lyræ, iuxta prouerbium à Varrone commemoratum, ὄνος λύρας.

Quot præterea præstantes Medici de re veterinaria scripserunt, quam eamdem exercuerant? Chiron ipse quem Saturni & Philyræ filium finxerunt Græci, seu Temporis & Experientiæ (vt enim χρόνον τὴν τῆς πείρας φίλην

vtrum-

vtrumque dixerunt) Chiron, inquam, nonne superiore suj parte hominem, inferiore equum referebat, indicandæ arti omnium præstantissimę, quà quęlibet animalia sanare consueuerat, in quorum gratiam a Ioue ipso immortalitate donatus est; & inter sydera relatus. Deperditos libros lugemus Astrampsychi de asinorum curatione, atque etiam multa Absyrti capita circa equorum medelam: Sed quid non absumit, aboletque illud edax rerum, quod nec ipsis metallis aut marmoribus parcit,

Quid non longa dies, quid non consumitis anni?

Accuratius nihil est ΙΕΡΑΚΟΣΟΦΙΩ seu medicina ea quam Demetrius Constantinopolitanus in accipitrum vtilitatem conscripsit, à P. Gillio è græco in latinum conuersa. Sacris illis auibus debebatur hic honos, ingenio, velocitate, atq; disciplina nobilissimis, in quorum gratiam Alb. Magnus, Belisarius Aquauiuus Neritinorum Dux, & vbiq; terrarum notus Præses Iac. Aug. Thuanus permulta egregiè contulerunt. ΚΥΝΟΣΟΦΙΟΝ seu canum curam latinitate donauit pręstātissimus Andr. Aurifaber medicus Vratislauiensis, idēque argumentum elegantissimis suis carminibus decorauit ampliauitq; celebris Professor Hier. Fracastorius. Cynegetica etiam scripserunt Marc. Aur. Olympius, atque Petrus Angelius Bargęus, qui & Ixeuticon vel de aucupio multa etiam litteris consignauit. Publ. Vegetius Renatus artem veterinariam IV. libris complexus est, a Io: Sambuco restitutis. Eamdem illustrarunt Æmilius Hispanus, Anatolius, Aphricanus, Archydemus, Didymus, Diophanes, Eumelus, Hierocles, Himerius, Litorius Beneuentanus, Mago Carthaginiensis, Messahala, Pamphilus, Pelagonius, Phæmo, Theomnestus, Xenophon, multique alij ex omni regione, omnibusq; sæculis, quos numerare labor. Verùm equestris ordinis Italos tres non prætermittam, eiusdem argumenti scriptores egregios, Paschalem Caracciolum Neapolitanum, Fiascum Ferrariensem, & Ruinum Bononiensem. Atque huic juuandarum bestiarum consilio mirificè profuit, omnium ætatum, populorumque religio: Primis quippe temporibus pecudum possessio, si non solum, summum saltem erat diuitiarum indicium, cuius illustre testimonium frequentissimè perhibent SS. Biblia. Pagani deinde πολύθεοι nonne Deos ipsorum custodes, & restitutores finxerunt Apollinem illum Medicum, Palemque Deam, in cujus honorem Paliliorum festum Romulus fundauit.

Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo.

Vt canit Poetarum Princeps, *eglog.* 5. Sed quod supra quodlibet momentum est Sacrosanctæ Religionis auctoritas id præstat. *Vnaquæque res visibilis in hoc mundo habet angelicam potestatem sibi præpositam*, inquit D. Augustinus, *l.* 83. 99. 9. 79. Ergo & bestiæ, quibus auxiliari mederique nullum erit dedecus. Clariùs id exponit D. Thomas, *de veritate* 2. 2. *quæst.* 108. *& de lib. arbitrio, art.* 2. *& seqq.* Bruta enim puniuntur à Deo, vel a Deo liberantur a morbis, in quantum famulatum & vtilitatem præbent hominibus, & in quantum in ipsis idcirco puniuntur homines, vel exaudiuntur.

At alterum dissertationis caput accedamus, & pecudum medelam nobili vereque philosopho indecoram non esse probemus. Nonne in brutis

vt in

vt in homiue πολυμήχανος Natura facienda facit, cùm tamen nihil didiſcerit, Ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα, καὶ οὐ μαθοῦσα, τὰ δέοντα ποιέει. Quare docet Hippocrates *l. de alim.* Naturam omnibus ſufficere, φύσις ἐξαρκέει πάντα πᾶσι. Hæc quippe nunquam ceſſat, inquit Galenus, *l. 3. meth.* facultatibus eius operi ſemper intentis, nunquam torpentibus, nihil negligentibus. Sanum enim animal hæ ſemper nutriunt, ægrotans, quatenus poſſunt, reſtituunt. Ita eſt, ſcribit Rabbi Moſes, *l. 6. aph.* 21. neminem ſeruari niſi Natura morbum ſuperauerit, neminem mori, niſi eadem victa ſit. Nonne in brutis vt in homine, morbi multi a Natura ſola vincuntur, αἱ φύσιες τῶν νούσων ἰητροί; Quidam a Natura & Medico ſimul, pluribus porro exſtantibus qui nec a Natura nec a Medico debellari queunt: Nonne in omnibus animalibus cuiuſcunque generis, organa vitalia ζιόλυχνον ſuſtinent? Nonne in brutis vt in homine, determinati ſunt ordinatique Naturę motus, nutritio, accretio, generatio, quidni & criſes, & materiæ morbificę πεπασμός? Nonne denique omnium prorſus animalium morbos comitantur indicationes, quibus incognitis ars nemini prodeſſe poteſt. Solus enim ὁ ἄριστα γνοὺς, ἄριστα θεραπεύει. Abſyrtus, clarus ille Medicus, cujus verba nuper faciebam, eadem chirurgia vti ſe fatetur in hominibus quàm in equis, venarum ſectione, cauterijs, ſcarificationibus, apoſtematum apertione, membrorum abſciſſione & combuſtione, luxatarum partium repoſitione, fracturarum concinna conſtructione ac ligatura. Et quidem equos, caneſque iiſdem infeſtari morbis ac hominem docet Ariſtoteles, *l. 8. de hiſt. anim.* quod a Plinio confirmatur, *l. 8. c. 42.* Eadem itaque ars, eadem medicina, idem ſcopus, idem finis, eadem inſtrumenta, ijdem morbi, eadem methodus, ijdē canones beſtijs æquè ac hominibus conueniunt.

Vile eſſe objicient delicatuli beſtias tangere ipſiſque mederi: An non quotidie ipſas tangimus, & quod majus eſt, deglutimus? Mollioribus aut Pytagoræis hos ſcrupulos permittamus, ſua metempſychoſi facetas fabulas fingentibus. Vilitatis arguendam eſſe ſcientiam nullam arbitramur, multominus quæ arduæ indignationi ſummam vtilitatem, beſtiarum ſcilicet conſeruationem, adiungit. Subjecti præcipui nobilitas artis eſſentiam non mutat, faberque nuncupatur qui in ferro, ære, aut auro laborat. Eadem eſt ars ſculptoria, ſiue in luto ſiue in marmore ſe prodat, & eadem pictoria, quæ pretioſis coloribus in gemmis, aut quæ in ligno, vilique tela, carbone ſeſe exprimit. Eadem architectonica quæ Deùm templa, Regum turres, pauperum tabernas, equorumque ſtabula ædificat. Sit itaque eadem ars medica, chirurgicaque, quæ circa hominem & beſtias ſeſe exercet, cùm horum ſit ſanitas eadem, ijdem morbi.

Quem deinde vt rej parùm honeſtæ puderet equis mederi, a quibus hominum primarios nobilitari perſpicimus ἀπὸ τοῦ ἵππου ἱππεῖς dictos, ab equo Equites, *dal cauallo Caualliert.* Equos enim & præcipua eſſe belli adjumenta & pacis ornamenta nullus ſanæ mentis inficias ibit. Io: Phil. Ingraſſias Regis Catholici archiater, mulæ mederi non dedignatus eſt, cuj ſanguine priùs miſſo, propinanda καθαρτικὰ exhibuit. Accipitri crus in venatione fractum manuum ſuarum operà reſtituit, reſtituiſſeque gloriatur; Subridentes aulæ

medicastros, vt ipse scribit summè deridens. Equis idem diætam, chirurgiam, pharmaciamque præscripsit, non ignarus illis olim erectas fuisse columnas, statuas, sepulchra, pyramides, exequias publicè ductas, conditasq; ciuitates. Quin & plerasque belluas non modò a Barbaris, verùm & ab Ægyptijs hominum religiosissimis ob vtilitatem cõsecratas fuisse tradit eloquentiæ magister Cicero, *de Diuin.* 21. Sagaciter respondisse ferunt Illustr. Professorem nostrum Io: Fortem, nobili cuidam mulieri ipsum deprecanti post initum pro se consilium, quidpiam etiam catulæ suæ Melitensi præscribere: *Faciam, me-Castor*, inquit, *& hunc diem bestijs medendis concedamus*. Nullus fortassis nostrùm est qui acri Bucephalo, aut Iul. Cæsaris equo βροτόποδι pedibus scilicet humanis, medicam opem negaret: Ego certè nobilibus illis atque φιλανθρώποις animalibus mederi magis gloriarer quàm tot nebulonibus, perfidis, scelestis, flagitiosis, quos aliquando video, specie quantumuis humana decoratis.

Liceat itaque Medico-Chirurgo absque vllo artis dedecore bestijs etiam mederi, ἔργῳ nil interest an παρέργῳ. Cùm enim illas propter hominem a Deo Opt. Max. creatas esse certum sit, hunc pudere non debet, seu ad ampliandam Creatoris majestatem, seu ad propriam sui vtilitatem, ijsdem quantùm potest opitulari. DIXI.

Proxima die, fracturarum doctrinam interpretabimur.